



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

83. An si quis insideret supra murum Monasterij Monialium, incideret in censuram? Et plura circa clausuram Monialium notantur. Et pro praxi quæritur, an si aliqua Monialis ascendat supertectum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

illi securum erit manere in saeculo, absque matrimonio; & absque monachatu. Et haec est praxis in tota fere Ecclesia, juxta quam facientes parentes nemo judicat excommunicatos; imò etiam si parentes, vel alij importunis precibus suaderent puellae, ut ingrederetur, non incurrerent, quia suasio etiam importuna non est coactio. Ita Portel, cui etiam addam Villobos in *summa*, part. 1. tract. 18. dub. 31. n. 11. ubi sic asserit. [Se libran de la excommunication los Padres nobles, que embian à sus hijas siendo niñas à criarse en los Monasterios, para que sean monjas, & siendo ya grandes les dizen, que no tienen dote para casarlas, y ansi que solo les queda entrar en un Monasterio, que estos no les hazen fuerza, pues siempre, quedan libres para no ser monjas.] Hec ille. Vbi etiam observat, & post illum etiam notavit Suarez, Cardinalium Congregationem docuisse, non incurrere hanc censuram illum, qui filiam relinquit heredem, cum pacto, ut aliquod Monasterium ingrediatur; quòd si renuerit, ipsum Monasterium heredem instituit, & filiae solum alimenta necessaria relinquit. Ratio est, quia illa non est coactio, nec inductio per vim, sed potius per modum concupiscentiae: quae omnia notent Confessarii; sunt enim multum conducentia ad sedandos multos scrupulos, & pro praxi Confessariorum. Salva semper, &c.

RESOL. LXXXII.

An Pater incurrat excommunicationem Concilij Tridentini sess. 25. cap. 18. si cogat filium impuberem intrare Monasterium?

Existeret filios impuberes sic à Parentibus in Religione oblatos non posse egredi sua voluntate ante annos pubertatis.

Et notatur Parentes cogentes filiam etiam puberem intrare Monasterium non in ordine ad professionem, sed tantum ut ibi educetur, donec nuptui apta sit, non incurrere dictam excommunicationem Tridentini. Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Ref. 42.

hanc etiam opinionem docens. Restat modò respondere ad argumentum quod adducit Megalius num. 10. Dico igitur Leonem Papam in dicto capite, loqui de puellis adultis; & §. cum ergo, non est Leonis Papae, ut asserit Megalius, sed Gratiani; & ideo Glossa super dicta verba sic asserit. Concludit hoc Gratianus ex supradicto capitulo à contrario sensu; quòd si à parentibus coacta fuerint recipere habitum: ipsum deserere possunt. Postea solvit, dicens, quòd illud puella, loquitur de puella nubili, quae post duodecimum annum à patre cogi non potest Monasterium ingredi; sed si esset innubilis, secus esset. Ita ibi Glossa; unde apparet verba, quae adducit Megalius, non esse verba Pontificis, ut dixi, sed Gratiani Doctoris privati, & non destruere, sed confirmare magis nostram sententiam, ut patet ex Glossa, dicta verba, ut supra, interpretante. Ad alia verò jura contra nostram sententiam adducta, respondeo quòd loquuntur de puberibus.

3. Notandum est tamen hic obiter quòd etiam stando in opinione Megalii, patrem cogentem filiam etiam puberem intrare Monasterium non in ordine ad professionem, sed ut tantum ibi educetur; donec nuptui apta sit, non incurrere in dictam excommunicationem Tridentini, quia Concilium consulausse videtur libertati Religionis, & licet absolute & simpliciter loquatur de ingressu in Monasterium, ipsius mens colligi debet ex subiecta materia, de qua in ea sessione. Ita probabiliter novissimè Bonacina tom. 3. disp. 2. q. 2. punct. 2. n. 6. & alij; quos loco cit. adduxi; licet ego magis probabiliter contrarium ibi docuerim. Igitur etiam si parentes filias impuberes non possint cogere ad intrandum Monasterium in casu de quo loquitur Megalius, poterit adhuc pater excusari probabiliter ab excommunicatione, quia cogit filiam ad ingressum Monasterij non in ordine ad professionem, aut habitus susceptionem, sed in ordine ad educationem tantum, ergo, &c.

RESOL. LXXXIII.

An si quis insideret supra murum Monasterij Monialium, incideret in censuram?

Et plura circa clausuram Monialium notantur.

Et pro praxi quaeritur, an si aliqua Monialis ascendat super tectum Monasterij, frangat clausuram?

Et an detur parvitas materia in violatione clausurae, tam respectu exitus, quam ingressus, vel respectu temporis?

Et quae quantitas sit parvitas materia in praedictis casibus? Ex part. 11. tract. 8. & Misc. 8. Ref. 25.

§. 1. Negativam sententiam, & bene docet eruditus Pater Giballinus de claus. sanctimon. disquisitione. 1. cap. 2. §. 17. consuet. 4. numer. 37. ubi sic ait. In secundo casu, Monialis, quae conscendit murum Monasterij sive curiositatis causa, sive quo alio animo, imò quae illi inequitat, nondum violat clausuram, quia re vera nondum extra clausuram est: quod idem dicendum erit de externo, qui murum Monasterij conscendisset, illique insideret, ut cum Moniali colloqueretur etiam malo animo: peccaret enim, sed non violaret clausuram: quare si ex composito Monialis ex altera parte conscenderet eundem murum, atque ita colloquerentur, turpiaque agerent gravissimè quidem peccarent; nullus tamen clausuram violaret: sicut neque si eadem admitterent aperto ostio Monasterij, ex quo neque Monialis egrederetur, neque externus in illud etiam ingrederetur. Ita ille: Et quoad Monialem idem docuit Suarez de Religione tom. 4. libr. 1. tract. 8. cap. 19.

E 4 num. 7.

num. 7. Tamburinus de jure Abbatissar. disput. 19. q. 5. r. 7. Thom. del Bene de immunit. tom. 2. cap. 19. dub. 5. 1. num. 6. & alij.

Sup. hoc in tom. 7. tit. 1. ref. 340.

2. Sed quid dicendum si aliqua Monialis ascendat super tectum Monasterij, an frangeret clausuram? De hoc casu interrogavi Episcopum Avellani coram Sanctissimo Domino nostro Innocentio X. & ipse negativè respondit. Eminentissimus Dominus meus Cardinalis de Lugo huic responsioni non videbatur annuere, sed ego illam tutatus sum. Probatur, quia qui confugit supra tectum Ecclesiæ, gaudet ejus immunitate, quia stans supra tectum Ecclesiæ, dicitur stare in Ecclesia. Ergo Monialis stans supra tectum Monasterij, adhuc dicitur stare in Monasterio.

3. Confirmatur, nam ibi dicitur aliquis esse propriè ubi pedes habet, licet à tali corpore non circundetur; unde Corpus Christi est in Cælo, quia pedibus calcatur superficiem convexam Cæli, licet à corpore cælesti non circundetur, ut docet Divus Thom. in 3. p. quest. 57. art. 4. in responsione ad 2. Et ita hanc sententiam præter Texedam à me alibi adductam docet Sanchez, in summa tom. 2. lib. 6. cap. 15. num. 7. Thomas del Bene de immunit. tom. 2. cap. 19. dub. 4. numero 4. & me citato Giballinus ubi supra, Tamburinus de jure Abbatissar. disput. 19. quest. 4. num. 4.

4. Nota tamen quod post hæc scripta inveni sententiam Eminentissimi Cardinalis de Lugo docere Patrem Bordonum in controvers. moral. controvers. 19. numero 2. quia clausura est ambitus ex omni parte clausus, & limitatus, intra quem, vel extra quem nulli pater aditus sine licentia, ergo monialis super tegulas gradens, non dicitur esse in clausura; cum sit extra ambitum, qui ex omni parte debet esse limitatus, & sicut viris per illam non licet intrare; ita neque Monialibus illinc exire. Viriisque enim par obligatio. Ita Bordonus. Vnde puto utramque sententiam probabilem esse, sed nostra opinio à Doctoribus est magis recepta.

Sup. hoc in tom. 7. tit. 1. ref. 338. & 339. per totas, & hic inf. in Ref. 123. §. penult. à lin. 5. & vult. Nam Nald.

5. Verum hæc etiam discutienda venit alia difficultas. An detur parvas materia in violatione clausuræ, tam respectu exitus, & ingressus, quam respectu temporis? Alibi affirmativè respondi, & dedi casum, quando, videlicet, Monialis uno pede sit extra, & altero sit intra clausuram; & ita hanc sententiam me citato tenet Thomàs del Bene de Immunit. Eccles. tom. 2. cap. 19. dub. 5. 3. num. 3. ubi sic ait. Licet Naldus verb. Clausuram. 4. & Merolla tom. 1. disputat. 1. cap. 2. difficult. 7. num. 502. putent, modicum esse, si ingressus secularis in Monasterium Monialium, vel egressus Monialis à clausura sui Monasterij, vel ingressus femine in Monasterium virorum sit per duos pedes; moti ex eo, quia etsi ille, sit verus & perfectus ingressus, vel egressus, tamen est in parva materia, & sic non sufficiens ad peccatum mortale; sicut licet furtum unius argentei sit verum, & perfectum furtum, tamen quia est in parva quantitate, non est sufficiens ad peccatum mortale, nec ad contrahendas penas latas contra furantes; quod mihi non improbat, si abest periculum peccati, & cum illo modico ingressu, vel egressu conjungitur parva mora temporis, nihilominus probabilius sit, modicum in hoc casu, seu in hoc egressu, vel ingressu esse, quando hæc non sunt perfecta, & consummata, itavt nimirum pars corporis (sive major, sive minor) sit intus, altera foris, seu totum corpus non sit intus, vel totum foris, ut si quis, v. g. uno pede clausuræ januam exierit, altero intus exiterit. Ita ille.

6. Non desinam tamen hæc adnotare quod ami-

cissimus P. Bordonus magis ample quam fecerat Graffius, Naldus, & Merolla, loquitur circa præsentem difficultatem; sic enim asserit dicta controvers. 19. num. 3. Exitum à Monasterio per plures passus, v. g. tres, aut quatuor statim regrediendo non judicatur peccatum mortale, cum is egressus sit modicus, quod probatur. Tum quia in Tridentino prohibetur exitus Monialibus à Monasterio etiam per breve tempus, loco citato, ergo non per brevissimum tempus saltem cum illo rigore, quod transgressio sit peccatum mortale, nam tempus momentaneum leges non considerant, l. fin. C. de bonis qua liber. nisi ex eo producat aliquis juris effectus, ut patet de ætate sexdecim annorum completa ad profectum in eo, & in similibus casibus momentaneum tempus spectatur. Doctoribus citatis Barbosa ad cap. 11. sess. 25. num. 14. & in aliis materiis alter Barbosa Senior, l. Dotalem 62. ff. de solut. marimon. numero 13. Tum quia non censetur propriè fugitivus ille, qui ad fugam gradum unum, aut alterum promovit, immo qui cæpit currere, l. qui sit fugitivus §. item ait, de adul. edic. Ergo neque perfecte exiit Monialis per illos passus paucos. Tum quia quod aium præcitati, existentem cum uno pede intra, & cum altero extra, dicitur imperfectè, & incomplete non placet, quia exitus de suo formali dicit esse extra, ergo excludit à suo conceptu esse intra, consequenter ille dicitur esse extra, qui locum ad intra omnino reliquit, ac proinde per extra præcisè dicit attentionem exitus, exitus autem non prius constituitur in suo esse formali, postea dividitur. Tum quia licet perfecta sit egressio, in quantum Monialis secundum se totam est extra clausuram, non tamen inde deducitur quod talis sit in genere transgressionis peccati mortalis, quod ostendo exemplificando in furto unius oboli, & argentei, liquidem tam est furtum acceptio unius oboli, quam unius argentei, cum in utroque reperitur ratio perfecta furti; utraque enim est iniqua ablatio rei alienæ, nihilominus unum peccatum mortale, alterum peccatum veniale; sic in casu nostro, utraque egressio, sive per unum passum, sive per plures, habet rationem perfectam exitus, hæc tamen ratio de se non infert peccatum esse mortale, aut veniale, sed id aliunde deducitur ex gravitate rei, & aliis circumstantiis.

7. Remanet difficultas circa brevitatem temporis, certum est breve tempus interdicti in Tridentino, & cum præter tempus breve detur etiam brevissimum, quod non prohibetur, aliud enim est brevissimum tempus, & momentaneum, quod leges non considerant in hoc casu, aliud breve quod considerant; ex uno non licet in odiosis inferre ad aliud, cum odiosa sint restringenda. Quare tempus breve cōcederem esse; si Monialis per unum, aut alterum Credo peristeret extra prope portam colloquendo, exempli gratia, cum consanguinea, in multis enim tempus brevissimum excusat à peccato mortali, ergo & in hoc.

8. Nec obstat, quod per unum Credo Monialis potest exire per quamplures passus, & non tantum per tres, aut quatuor, nam tunc violat clausuram respectu passuum, qui exitum perficiunt, & gravant, non verò respectu temporis; ideo dixi si Monialis persistat intra illos duos passus. Graffius part. 1. Ref. lib. 4. cap. 23. num. 15. & de casibus reservatis lib. 1. cap. 5. num. 45. dicit non incurrere penas transgredientes clausuram per duos pedes, vel paulò plus, & sequitur Naldus verb. Clausura, num. 11. Quæ dicta sunt de Monialibus, locum habent etiam respectu virorum ingredientium, cum utriusque omnino sit idem judicium.

9. Verum quidem est, quod doctrina allata habet magis locum post factum, quam ante factum; nam tunc restringendus est exitus, ne detur materia peccandi alicui; nihilominus adductæ rationes mihi videntur multum persuadere probabilitatem hujus opinionis Grassij, & aliorum; neque enim videtur rationabile pro levi exitu, & ceteri, arguere Monialem de peccato mortali, & censuris. Hucusque Pater Bordonus sed ego non discedo ab opinione, quam olim docui, & quam communiter tenent Doctores, quos ego alibi citavi, & ex me adducit Del Bene ubi supra, quibus adde Giballinum ubi supra con-
fess. 2. num. 34.

RESOL. LXXXIV.

Notabilia quadam circa prohibitionem colloquendi cum Monialibus.

Et in textu hujus Resolutionis decem casus adducuntur pro praxi, & exemplis prædictæ difficultatis.

Et tandem superest hæc questio, an, nimia frequentia Monasterij Monialium absque legitima causa sit peccatum? Ex parte 3. tractatu 2. Resolutione 48.

Nota primò, quòd aliqui dixerunt non incurtere excommunicationem qui loquitur cum Moniali ea nihil respondente, quia verba legis pœnalis non sunt extendenda, sed colloqui significat, simul loqui, & cetera. Verum contrariam sententiam, & meritò docet Grassius *tomo 1. confil. 22. de sentent. excommunicationis num. 30.* Sed an idem dicendum sit de eo, qui audit Monialem sibi loquentem, quamvis ipse illi non respondeat? affirmat Grassius ubi supra, numero 21. At ego contrariam sententiam tenco, quia excommunicatio lata est contra loquentes cum Monialibus, sed audire non est loqui, etiam ex lata significatione vocabuli. Ergo, &c.

2. Nota secundo, quod qui per nutus, & signa Moniales alloquitur, incurrit in excommunicationem, quicquid asserant aliqui Neoterici mortu eo, quod sic loquens non loquitur more humano, loqui etenim est voce articulata internos conceptus explicare; ergo si quis nutu illos manifestet, non est propriè loqui. Sed affirmativa sententia, ut dixi, est tenenda, & illam docet Grassius *de casib. in reseruat. libro 2. capite 5. numero 35.* Vbi etiam tenet idem dicendum de eo, qui loqueretur per interpositam personam in præsentia Monialis audientis, & per eandem interpositam personam respondentis, quia id in effectu idem est, ac si cum ipsa Moniali colloqueretur. Sed ego in hoc contrarium tenco, & ita in praxi etiam à viris timoratis observatur, & à fortiori non incurreret in excommunicationem, qui mitteret moniali absentem nuntium, vel epistolam.

3. Nota terriò, quod loquentes cum Abbatissis sine licentia Episcopi, incurrit in excommunicationem, & ita tenet Grassius *de casib. reseruat. libro 2. capite 5. numero 31.* Verum mihi contraria sententia magis placet, quia sicut nomine Monachorum non venit Abbas, ut notat Glossa in *capit. final. de simonia, & ibi Panormitan. num. 2.* Cardinalis in *Clem. 1. num. 7. in 6. opposit. de Regular. ita dicendum est, quod nomine Monialium non veniat Abbatissa.*

4. Nota quartò, quod qui per interpretem loqueretur, ut si loquatur aliqua lingua, quam Monialis non intelligit, sed alius explicaret Moniali sensum verborum, secundum Grassium *de casib. re-*

servat. libro 2. cap. 5. num. 34. incurreret in excommunicationem; sed ego contrariam sententiam tenco, quia talis verè non loquitur cum Moniali, sed cum illo interprete; quare idem est, ac si dixeret Moniali, nuntium mitteret.

Nota quintò, contra dictum Grassium *tom. 1. confil. 22. de sentent. excommunicationis num. 9.* pueros, puellâsque ante annum decimum quartum completum, loquentes cum Monialibus non incurtere in excommunicationem, per ea, quæ adducit Bonacina *de censur. disputat. 1. questione 1. punct. 4. numero 7.* cum aliis. Idem dicendum est de advenis, & peregrinis si cum Monialibus colloquantur in aliqua civitate ubi domicilium non habent, ex his, quæ diximus in *tractatu de legibus.* Et idem asserendum puto de Episcopis, qui ut experientia demonstrat sine serupulo cum Monialibus loquuntur absque Ordinatorum licentia. Et ita docet Grassius *de casib. reseruat. lib. 2. cap. 5. num. 27. & 54.* licet contrarium teneat Gratianus *tom. 2. cap. 393. num. 20.* & hic Panormi observatur.

6. Nota sextò, quod, ut alibi diximus, collocutio de rebus indifferentibus cum Moniali per spatium unius *Miserere*, & aliquid amplius ratione parvitatis materiæ, non sufficit ad incurrendam excommunicationem, licet aliqui asserant sufficere decem verba, imò duo, vel tria tantum, si collocutio esset de rebus obsecenis. Adde etiam quod aliquando quælibet, licet longa, collocutio etiam de rebus obsecenis, non sufficit ad incurrendam excommunicationem, ut v. g. si dominus, qui solitus est minas exequi, comminaretur aliquod grave malum servo, vel ancillæ, nisi ad colloquendum cum Moniali de rebus turpibus, accedat; quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto rigore, ideo in tali casu servus, & ancilla, licet peccent, non tamen in hæc excommunicationem incurrit.

7. Nota septimò, quod excommunicatio lata contra accedentes ad Monasteria ad colloquendum cum Monialibus, non ligat illum, qui loquitur cum Moniali, quæ est intra clausuram de domo, quæ propinqua est illi Monasterio, quia talis excommunicatio cum sit pœnalis, stricte est interpretanda; cum ergo sit lata contra accedentes ad Monasterium ad colloquendum, non est extendenda ad illum, qui non accedit ad Monasterium, sed cum Moniali loquitur de domo. Et ita hæc sententiam tenet Grassius *tomo 1. confil. 22. de sentent. excommunicationis numero 23.* licet contrarium, & magis probabiliter tenendum sit, quia principaliter, & per se prohibetur in tali casu ipsa collocutio, accessus verò ad Monasterium prohibetur per accidens; ergo, &c. Et ita videtur aperte docere Henriquez *lib. 13. cap. 26. num. 2.*

8. Nota octavò, quod omnes Regulares, etiam exempti alloquentes cum Monialibus absque licentia, possunt puniri ab Episcopo ex constitut. Gregor. X. V. & ex Declaratione Cardinalium Romæ typis excusa anno 1624. & hoc etiam si alloquantur in Monasterio ipsis Regularibus subdito, ut notant Bellochius in *praxi de Casib. reseruat. part. 2. quest. 9. numero 17.* Bonacina *de clausur. quest. 3. punct. 4. numero 8.* & alij. Notandum est tamen contra Duandum in *Bull. Cœn. b. 1. cap. 1. quest. 3. num. 19.* quod non colligitur ex dicta Declaratione Cardinalium Episcopos, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegatos, posse peculiari statuto prohibere Regularibus exemptis, sub pœna excommunicationis, ne cum Monialibus colloquantur. Vnde infertur etiam contra Grassium in *decis. part. 1. lib. 2. cap. 49. numero 68.* & alios, quod Religiosi exempti non afficiuntur censuris ab Episcopo impositis contra accedentes ad Monasteria

Sup. hoc ib. §. ult. ad n. adiun. Et tandem.

Sup. his in res. not. seq. §. Nota quinto, &c. Sup. hoc inf. in res. 87. §. Nota quarto.

Alibi inf. in res. 124. a lin. 1. & in tit. 5. res. 46. post medium, §. 1.

Sup. hoc inf. in res. 87. & ed. hic, prop. 1. faciem.

Sup. hoc ed. tenco in hoc §. in 7. tr. 1. res. 314. & late in res. 315. à principio, usque ad §. ultim. exclusivè.

Sup. hoc ibi. & alios, quod Religiosi exempti non afficiuntur censuris ab Episcopo impositis contra accedentes ad Monasteria